

Handwritten text in a medieval script, likely Latin, covering the entire page. The text is arranged in two columns, with a significant portion of the left column obscured by the book's binding. The script is dense and features several large, decorated initials in red ink. The parchment shows signs of age, including discoloration and some wear at the edges.

Communicata  
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. H. Maxß  
1831 oho

ECLOGA.

PROPEMPTICA RE

VERENDO VIRO, DOCTRINA,  
ET PIETATE PRAESTANTI, D. TITO AMICI-  
no Coronensi Transylvano, è celeberrima Acade-  
mia Vitebergensi, ab Ecclesia Claudiopolitana  
in Transyluania, ad munus docendi incorruptam Euangelij  
doctrinam reuocato, & iam secundo in patriam  
feliciter redeunti, scripta

A.

IOHANNE AGRICOLA KECZ  
KEMETHINO PANNONIO.

VITEMBERGÆ

EXCVDEBAT IACOBVS  
Lucius Transyluanus.

1563.

# ECLOGA.

CORONVS. ÆPOLVS LYCIDAS.

*A*epole tu uiridis residens sub frondibus Alni,  
Montanam gracili modularis arundine Musam:  
Nos rapidi gelidas iam relinquimus Albidos undas,  
Nos patriam petimus, sed tu securus in umbra  
Phoebæam resonas propè, *BALSARATI* da ripas  
*Aep:* Ista Corone Deus noster dedit otia nobis,  
Ipse fatebor enim, speravi semper in illo,  
Namq; mihi Phoebus medicinae & carminis author  
Hos monstrauit agros, & dixit, pasce capellas,  
Et quoscunq; uoles aperi licet Aepole riuos.  
*Cor:* Huic equidem Pæana canam, dum uita manebit.  
Et cur inuideam non est, nec quærere causam  
Est animus: sed enim faueo tibi pectore toto,  
Lætor & ille *DEVS* tibi quòd benefecerit ulirò,  
Cultor opis Medicæ dederitq; quòd hæc tibi prata.  
At iam uix fari paucis uacat Aepole tecum,  
Vsq; adeò properata uia nos causa fatigat.  
Ite meæ nuper fœlices ite Capellæ,  
*Aep:* Rurâq; Pannoniæ repetatis pinguia mecum.  
Cornigeras quare pecudesq; gregesq; Corone  
Hinc abigis? toruosq; boues simasq; capellas?  
Quò tam præcipiti cursu propellis ab Albi  
Armentum? Num quis te pratis arcet ab istis?  
*Cor:* Aepole non equidem campo depellor ab isto,  
Nam mihi pastores huius regionis amici

Sunt

Sunt & semper erunt: Annosus & ipse Palemon  
Pastorum lites quondam componere prudens,  
Quanto me affectu semper dilexerit, à me  
Sæpius audisti: nuper qui Monte sub albo  
Contumulatus obit, nigra tellure remotus.  
Vera Corone refers: audiui sæpius ista. Æp:  
At mihi non licuit te cernere Docte Palemon,  
Albidos ad uirides modulantem carmina ripas  
Docta, Philippeo dignosq; numismate uersus,  
Pascentemq; greges & nigra Melanthia in hortis  
Plantantem, uites & curua falce putantem.  
Ora tamen uidi tua quæ depinxit Apelles  
Frondosi nemoris propè lucum Monte sub Albo.  
Molliter ô Diuine Senex tua membra quiescant.  
Notus & ipse mihi Melibæus tempora canus, Cor:  
Maiorum cecinit nostrorum qui mihi uitas,  
Pascendiq; gregis rationem dixit in aruo.  
D. Ametas etiam iam corpore debilis ægro,  
Eruere annales ueterum qui nouit, & alto  
Vertice de montis speculatur ouesq; caprasq;. Aep:  
Ambo quippe senes, animis prudentibus ambo. Cor:  
Quiq; solet multas gentes narrare Menalcas  
Moresq; illarum sedesq; ab origine mundi:  
Herbarumq; canit uires & sidera cæli.  
Iudice me multis præstantior ipse Menalcas, Aep:  
Possidet ille etenim fecunda Palemonis arua,  
Sed quos præterea nosti refer oro Corone.  
Delphica Silenum nobis oracla canentem, Cor:  
Et quæ pastores olim cecinere pelasgi

A y Argutam



Æp: Argutam huius ego demiror sæpè cicutam.  
 Cor: Mopsum etiam mores solitum laudare decentes,  
 Vincere nodoso reliquos ænigmate doctum.  
 Æp: Sæpè meas huius caua fistula detinet aures.  
 Cor: Pascuaq; apta ouibus Damonem ritè docentem.  
 Æp: Ille locos forsàn cunctos lustravit agrorum.  
 Cor: Abdita naturæ retegentem arcanaq; Daphnim,  
 Deinde colorata cantantem Merin auena.  
 Atq; palestinos celebrantem Thyrsida campos,  
 Ruris & Assyrij, laudantem prata Comatem.  
 Aegonemq; animo intentum cælestibus astris.  
 Æp: Fortè polos qui scandit, & hic metitur, ut aiunt,  
 Millia per longos cæli distantia tractus.  
 Cor: Rectè: dein Battum numeros, orbemq; globosum,  
 Et Chromin aërios uultus atq; ignea monstra,  
 Mnasylumq; sales, urbanaq; uerba loquentem.  
 Et quid multa loquor: pastores nouimus omnes  
 Res sacra, Iuraq; sunt quibus atq; remedia curæ.  
 Tityrus at relquis tanto mihi notior ille,  
 Argento quantum Ioachimica Vallis abundat:  
 Tityrus, ad tumulum qui carmina mille quotannis  
 Concinit, exequias in Monte Palæmonis: atras  
 Cupressos illic & nigra Melanthia spargens.  
 Æp: Ipse Corone illum modulantem carmina uidi,  
 Attonitas cantu uidi uolucresq; ferasq;  
 Saxaq; cantantem uidi syluasq; sequentes,  
 Quin & oues uidi caprasq; canentis ab ore  
 Suspensas, uiridis neglecto gramine campi.  
 Carmine nō Linus hūc, cythara nec uinceret Orpheus  
 Tityron ergo tuum cædò cur deseris? anne

Vberiora tuis perquires pascua bobus?  
Nec meliora meis uolo quærere prata capellis,      Cor:  
Nam nec amæna magis sunt istis Thessala Tempe,  
Talia sint etiam, narrantur qualia nobis,  
Florenti cytiso Cytheræideq; obsita myrto.  
Nec mihi Leucoridos sordent Cerealia rura,  
Arua etenim reor esse feracia non magis istis  
Illa paludosi quæ sunt propè littora Nili,  
Quamuis (ut perhibent) centuplos Aepole fructus  
Vomere producti soleant ibi reddere sulci.  
Si tibi rura placent, nec pelleris inde Corone,      Acp:  
Cur igitur nostris excedere finibus optas?  
Inductum nebulis fumantibus undiq; cælum  
Nonne uides? iam iam uenturos flatibus imbres?  
Rem tibi sicut habet, iam proloquar Aepole totam:      Cor:  
Rura meæ postquàm patriæ dilecta reliqui  
Illius ob multas lites & iurgia Codri,  
Ab miser: Arctoas huc sum delapsus ad oras:  
Tunc armenta mihi pecudesq; per inuia ductæ  
Defessæ fuerant: ergo propè littora nota  
Albidos, & docti fecunda Palæmonis arua  
Lanigero pecori modulabar arundine læui,  
Hic inter densas corylos, arbustaq; læta.  
Non semel ergo tibi sunt uisa Palæmonis arua,      Acp.  
Notaq; erant huius iam tum iuga candida Montis?  
Rem narras: cum terra suos protrudere flores      Cor.  
Cœperat & canis flauescere campus aristis,  
Tunc ego cum raucis certabam sæpè cicadis,  
Sole sub ardenti, cantando sæpius illas

A ij

Vince

Vincebam: totosq; dies æstatis amænæ  
Consumsi arguta meditando carmen auenæ:  
Nec mea repleui multo fœnilia pastu,  
Ab miser: idcirco uestris decedere campis  
Cogor & orbe alio grauidis iam pabula fætis  
Quærere: ne pereant sub iniquo frigore brumæ.  
Et poteram gelidi iam visere littora Rheni,  
Gemmatis etiam constructa Palatia tignis:  
Hicq; meos ouiumq; greges, docilesq; iuencos,  
Pascere iam poteram florenti in rure quietus,  
Dulce sed est patriæ uel saltem cernere fumum.  
Ergo Corone tua hæc cunctis absentia nobis  
Mæstitiam pariet magnam: discedis ab Albi  
Irriguo, montemq; relinquis Apollinis altum.  
Non secus hoc abitu uicina mapalia turbas,  
Quam fera tempestas sedatas æquoris undas  
Commouet, & latices fundo subuertit ab imo,  
Aut ueluti fruges maturis imbribus Auster  
Impedit effusis & grandine miscet oborta.  
Sed tu fortunatus eris, qui cum grege saluo  
Littora nota coles, ouibusq; recondita seruas  
Pabula, cui assuetas armentum ruminat herbas.  
At nos in reditu uarios transibimus agros,  
Imbelles passim pecudesq; per inuia agemus,  
Sic insueta greges gustabunt pabula nostri.  
Est etiam uia longa, malisq; obnoxia multis  
Ni DEVS auertat, tacitisq; referta periclis.  
Coge pecus Lycida, comes optime, coge capellas,  
Et discedamus: quò namq; diutius hic me

Aep:

Cor:

Allo



*Alloquitur, tantò grauius diuellor ab Albi.*  
*Ite meæ celeres, hinc ocyus ite capellæ.* Lyc:  
*Ipse etiam teneris en aspice Goncius hædis,*  
*Adiunxit comitem se nobis, ibimus ergo.*  
*Si qua forent errata quibus te læsimus unquam* Cor:  
*Aut alios, ea nunc condones Aepole nobis.*  
*Aepole iamq̄, uale cum BALSARATIDE Musa,*  
*Armentumq̄, tuum, ualeat tuus & caper ille:*  
*Lacte tuæ redeant distentæ ad mulctra capellæ,*  
*Omnis ouisq̄, tibi geminos alat ubere fetus.*  
*Et quibus essemus læsi tua nulla Corone* Eep:  
*Facta recordamur: ueniam des tu quoq̄, nobis.*  
*Et tibi si prorsus stat iam sententia ( quamuis*  
*Ecce sub hoc poteras mecum remanere mapali )*  
*Vade bonis auibus Phæbo dilectæ Corone,*  
*Te Iouis æterni deducat nuncius Ales,*  
*Hæcq̄, armenta tibi sint salua, capræq̄, sequaces,*  
*Lanigeriq̄, greges, teneri cum matribus agni,*  
*Et caper, atq̄, Aries, camuris cum cornibus ille*  
*Dux ouium, ducatq̄, greges ad pabula saluos,*  
*Misnica rura legas, & Vandala pascua sospes,*  
*Deinde Silesiacos lustres agrosq̄, Polonos,*  
*Ruthenas tandem rupes syluasq̄, sonantes,*  
*Donec in Vngaricis colludant uallibus hædi,*  
*Et Transyluanos ditissima prædia campos*  
*Clausemburgiæ & gelidas scaturiginis undas,*  
*Perueuiant: illicq̄, Ioui sacra uictima Magno*  
*Concidat è teneris subitò præ pinguior agnis.*  
*Tum demum fœlix armentum rure beato* Et

Et uideas ouiumq; greges, hirtasq; capellas,  
Fecundas, geminis matres cum fetibus, illic  
Aspicias niueo spumantiaq; ubera lacte.  
PAN ouium custos tua tunc armenta tueri,  
Dignetur: frustra Lupus insidietur ouili  
Occluso, fugiatq; procul latrante Lycisca.  
Culta PALES etiam fructu pastoribus omni,  
Et POMONA tuos cum FLORA vestiati agros,  
Hyblæis gratos apibus tibi pascua flores  
Effundant: fructus maturosq; educet arbos:  
Sylvanusq; Senex agros, tua gaudia, curet,  
Iugera flaua CERES decoret, uitesq; LYAEVS,  
Depulsos a lacte tibi Galatea tenellos  
Claudat ouans agnos: rata sint precor ista Corone.

Lyc: Aepole postremam cum uotis en cape dextram.  
Non etenim multis tecum licet Aepole fari.

Aep: Tot tibi mi Lycida cupio felicia, trux quot  
Pannonis Vrsapilos gerit, & grex uellera uester:  
Quot botros Autumnus, Hyems pluuiasq; niuesq;  
Ver flores, Aestas quot pingues gignit aristas.

Cor: O pater Albi uale, Mons candide, Leucori Musa,  
Et liquidi fontes, syluæq; & rura ualete.  
Ite meæ celeres ad Pannonis arua Capellæ.

FINIS.

153028

AB: 153028

ULB Halle

3


003 486 044



86

*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in two columns. Several large initials are written in red ink, including 'D', 'E', 'F', 'G', 'H', 'I', 'K', 'L', 'M', 'N', 'O', 'P', 'Q', 'R', 'S', 'T', 'U', 'V', 'W', 'X', 'Y', and 'Z'. Some lines are underlined in red ink. The parchment is aged and shows signs of wear, including stains and discoloration.]*





ECLOGA.

PROPEMTICA RE

VERENDO VIRO, DOCTRINA,  
ET PIETATE PRAESTANTI, D. TITO AMICI-  
no Coronensi Transyluano, è celeberrima Acade-  
mia VVitebergensi, ab Ecclesia Claudiopolitana  
in Transyluania, ad munus docendi incorruptam Euangelij  
doctrinam reuocato, & iam secundo in patriam  
feliciter redcunti, scripta

A.

IOHANNE AGRICOLA KECZ  
KEMETHINO PANNONIO.

VITEMBERGÆ

EXCVDEBAT IACOBVS

Lucius Transyluanus.

1563.